

quo ero apud vos, & patiar vos? Ad- duci autem ad se puerum iussit, quem statim mirè Dæmon torquebat; sed Jesus patrem admonuit: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Pater in lacrymas resolutus, credere se ait, rogare tamen, ut ejusdem fidei imbecillitas ejus virtute confirmaretur. Minutans ergo Jesus Dæmonem facessere à puero coegit (d).

h Matt. 17. 14. 18. Marc. 9. 34. 27. Luc. 9. 37. 42.

Dæmon solâ oratione & jejunio pellendus.

Ingressus inde domum, ac solitarius cum Discipulis versans, rogantibus illis ut quid omnes suos ipsorum conatus pueri illius morbus elussisset? respondit, ejus rei in causa fuisse, quod fidei essent imbecillioris; tantum enim fidei, quantum granum sinapis, ejus esse virtutis, ut transferre montes valeret. Adjecit insuper, id generis Dæmones oratione tantum & jejunio depelli (e).

h Matt. 17. 19. 21. Marc. 9. 18. 29.

Percurrit sub hæc, omnibus imprudentibus, Galilæam. Narravit autem Apostolis futurum, ut ipse Judæorum manibus permissus occideretur, atque post triduum ad vitam rediret; quod tamen Discipuli intellectu minimè affecti sunt. Quamquam ejus sermonibus designari aliqua de adventu Regni, & Filii Dei subodorati, ansam inde coeperunt disceptandi, quis eorum in Regno Cælorum primas tenere debuisset (f).

h Matt. 17. 22. 23. Marc. 9. 30. 33. Luc. 9. 44. 45.

Jesus didrachma solvit pro Templo.

Jesus & Petrus præcurrentes, Capharnaum pervenerant, cum exactores didrachmatis, quod per capita tributum Templo solvebatur, quæsierunt à Petro num Magister ejus didrachma vel hemiscelum solveret. Assirantem Petrum Jesus cum primùm domum pervenit, antequam ab illo quidquam resciret, interrogavit, quosnam viros Reges terræ ad solvendum tributum cogent, filios ne an extraneos? Extraneos respondit Apostolus. Ac Jesus: Immunes ergo habentur filii? tacitè verbis illis designans, se, qui Filius esset Summi Parentis, tributum lege non cogi. Ne tamen, adjecit, solvere recusantes viris illis offendiculo sumus, ad mare statim te conferens, quemcumque pisceum, qui primus ad hamum venerit, exentera, atque duo in ejus ventre reperta didrachmata, tui meique tributum solve. Ad fidem discipulorum omnia (g).

h Matt. 17. 24. 27.

Disceptatio Apostolorum, quis primas in Regno Dei tenere debuisset.

Eodem temporis articulo supervenerunt Discipuli, (neque enim adfuisse credimus cum tota de solutione tributi historia ageretur, atque seriùs venerant, disceptantes de Principatu) cum, inquam, ve-

nissent, quæsierunt illico à Jesu, quis in Regno Cælorum primas haberet? Ille qui factus ab absentibus sermones omnes narrat, interrogavit, quid inter se venientes disceptasset. Siluerunt illi rubore suffusi. Tum Jesus postulatis eorum respondens, dixit, ab obtinendum principem in Cælo locum illos omnium novissimum tenere opus esse; atque accito in medium puero, adjecit, illum, qui Regnum Cælorum ascedaret, ad pueri illius statum reduci (h).

h Matt. 18. 1. 5. Marc. 9. 34. 37. Luc. 9. 47. 48.

Vir quidam à Discipulorum numero alienus, Dæmones invocato Christi nomine depellit.

Narravit Joannes Magistro, vidisse se ceterosque socios hominem, qui Dæmones ipsius nomine invocato pelleret, quamquam à Discipulorum cœtu esset alienus; prohibuisse autem ne quid ultra auderet. Negavit Jesus prohibendum; qui enim suo nomine invocato miracula patraret, certè sibi iniquior esse non potuisset, & quicumque contra se non staret, pro se planè reputaretur (i).

i Marc. 9. 38. 41. Luc. 9. 49. 50.

Quantum damni sit in scandalo.

Adjecit, ne potum quidem aquæ frigidaæ suo nomine Discipulis suis collatum mercede vacuum futurum. Veh autem illis, qui pusillis suis scandalo fuissent! præstare sanè iis, ut molâ aliquâ macinariâ ad collum suspensâ, in mare projicerentur. Oportere tamen esse in mundo scandala; sed veh scandalorum auctori. Si autem, adjecit, manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. De impiis ad inferna damnatis dixit: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis (k)?

k Matt. 18. 6. 9. Marc. 9. 41. 50.

Parabola ovium errantis.

Admonuit, neminem ex Fidelibus, quantumvis minimum, contemnendum, quorum Angeli faciem Patris Cœlestis aspicerent. Venisse se ait rebus amissis quærendis. Proposuit deinde parabolam hominis, qui cum centum oves sibi haberet commissas, 99. in montibus relictis palantem unam quæritat. Plura insuper de correctione fraterna disseruit: oportere primùm fratrem seorsum ab omnibus corripere; dein coram duobus vel tribus testibus refractarium Ecclesiæ denunciare; & si Ecclesiam non audierit, ab ejus consortio recedendum, habendumque tamquam paganum aliquem & publicanum. Obtestatus est, omnes ab Apostolis suis ligatos atque solutos in terra, in Cælo pariter ligandos vincendosque. Cum duo vel tres simul ejus nomine coiverint, medium se inter illos futurum; si duo ex ip-

sis postulando aliquid à Patre coiverint impetraturos omnia (l).

Norma fraterna correptionis.

Cum Jesus de correptione fraterna, quadam differuisset, eâ acceptâ occasione Petrus interrogavit, quoties fratri veniam postulanti indulgendum? an septies? Cui Jesus: Non dico tibi septies, sed septuagies septies. Proposuit deinde parabolam Regis, qui rationem cum servis suis positurus, à famulo 1000. talentorum sibi obrato requisitus est, ut temporis aliquid sibi ad solvendum indulgeret. Ille non postulata tantum, sed debitum etiam omne remisit. Digressus inde servus, cum obratum sibi 100. denariorum alium conservum offenderet, jugulo abreptum, roganem frustra obsecrantemque in carcerem conjecit. Eâ in fratrem inhumanitate commotus Rex, malum servum carnificibus permisit, donec totum debitum pendisset. Tandem, intulit Jesus, Deus cum illis præstabit, qui fratribus in se peccantibus veniam indulgere recusarint.

Jesus ad Festum Pentecostes Jerusalem concedit.

Neunte jam postremo vitæ J. C. anno, contulit se Jesus Jerusalem ad Festum Pentecostes. Inter eundem viros quosdam in vicum Samaritanorum parando sibi hospitio præmisit; sed à Samaritanis ne locum ingrederetur prohibitus est. Quare duo ex ejus Discipulis Jacobus & Joannes suggererunt Magistro, ut deducto cœlestis igne vicum absumeret. Quibus ille nescire ait eos, ad quem Spiritum pertinerent; se verò servandis non perendis hominibus venisse. Huius ardentioris zelus causâ duobus illis Discipulis nomen inditum Boanerges seu filii tonitruum (m).

m Luc. 9. 51. 56.

Qui Jesum sequi oporteat.

Obtulit se quidam, fidum totius vitæ comitem se accessurum professus; cui Jesus: Vulpibus, ait, suæ non desunt foveæ, nec volucibus nidi; filio verò hominis nec locus suppetit ut caput reclinet. Cum virum alterum ad sui sequelam invitasset Jesus, permitti sibi prius ille postulavit ut parentem suum sepulturæ mandaret; cui Jesus: Sinite, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Alteri verò, qui concedi sibi postulabat, ut vale necessariis dicere permetteretur, dixit, eum qui manum habet ad strivam, retrorsum oculos convertere minimè oportere (n).

n Luc. 9. 57. 61.

Septuaginta duo Discipuli ad fidem annuiciandam mittuntur.

Legit Jesus, præter duodecim Apostolos, 72. Discipulos, quos ante se ad loca destinavit, sibi deinde petenda. Cum autem Jerusalem pergeret, dixit, uberrimam quidem messem raros habere messorum; mittere se illos tamquam arietes in medio luporum; jubere autem, non crumenam secum, neque comæatus, nec tandem mutatoria calcamenta eutes deferre; neminem per viam salutare, domum aliquam subeuntes frustra omnia domesticis apprecari; quæ scilicet pax, siquidem illi digni inveniuntur recipiendi vos, super ipsos recidet; in autem, ad vos revertetur. Monuit, ut in eadem semper domo manerent, quamdiu à domesticis non pellerentur; comederent quamcumque mensa apponerentur, curarent morbos & Regni Dei adventum annuiciarent. Adjecit in ex urbe quadam prohiberentur, excutere in illos pulverem pedum suorum, statimque facessere; scirentque durius in eam Civitatem ultimâ Judicii die animadvertendum, quam in Sodomam & Gomorrhâ: Veh tibi Corezum, Veh tibi Bebsaida, veh tibi Capharnaum! Tyro & Sidoni remissius erit in Judicio, quam vobis (o).

o Luc. 10. 1. 16.

Septuaginta duo Discipuli post impletum munus regrediuntur.

His igitur onerati mandatis septuaginta duo Discipuli omnia ea loca percurserunt, quæ deinde Jesus visere statuerat, alta ubique & prædicationum suarum, & prodigiorum vestigia relinquentes. Quo suo munere functi, Jesum sive Jerusalem sive in adjacenti circa regione nacti sunt, quem de prospero expeditionis sue successu fecerunt certiores. Cum narrarent obsequio suo morigeros Dæmones habuisse, Jesus videre se dixit Satanam velut fulgur à Cælo ruentem; tum Discipulos suos super scorpiones & serpentes impavidos gradi imperavit; quippe quibus in venena & noxia quæcumque virtutem contulisset. Demum gratias Patri egit, quod mysteria sua superbis tumentibusque viris abscondens, humilioribus & parvulis revelasset. Prodidit, suis manibus omnia à Patrie tradita, neminem verò Patrem nosse nisi Filium, sicuti vicissim Filium nisi Patrem, ceterosque quibus Pater revelavit. Tum, beatos predicavit Discipulos, quibus intueri datum esset, quem Reges & Prophetæ videre & nosse summis votis optarant (p).

p Luc. 10. 16. 24.

Parabola hominis vulnerati in via ad Jericho, cui Samaritanus opem præstitit.

Jesum convenit Legisperitus, quid factu opus esset, ut vitam æternam assequeretur, interrogans. Quem ille, quid in lege

ge prescriberetur, rogavit. Tum alter: *Diligens Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum.* Redd, ait Jesus: *hoc fac & vires.* Adiecit Scriba, quis esset proximus suus, interrogans. Ad hæc Jesus hanc instituit parabolam. Judæus quidam è Jerusalem in Jericho proficiscens, prædones offendit in via, qui ejus omnia diripiisse non contenti, miserum hominem vulneribus confossum penè cadaver reliquerunt. Accidit, ut Sacerdos quidam transiens, eospecculo ne moraretur quidem; ita pariter de Levita paulò post eandem viam tenente narratur. Tandem Samaritanus quidam fortè illac pertransiens, miserum suis manibus levavit, obligavit vulnera, in equum assumpsit, detulit ad diversorium, & sollicitè omnia ejus curavit, datâ pariter cauponi mercede, quò sedulum ejus curam gereret. Interrogavit deinde Jesus, æquis de tribus hæc miseri illius hominis proximus crederetur? Respondit Scriba, Samaritanum arbitrari: sc cui Jesus: *Vade & tu fac similiter (q).*

q Luc. 10. 23. 37.

*Jesus in domum Marthæ, & Mariæ Bethaniæ recipitur.*

Exceptus est Jesus in domum Marthæ, scemina Bethaniæ commorantis, 15. stadiis, vel tribus leucæ quadrantibus à Jerusalem. Parando novo hospiti cibo anxie studebat Martha; cum interim Maria ejus soror ante ejus pedes otiosa loquentem auscultaret. Conquesta est Martha eâ de re cum Jesu, quippe quæ sola rei familiaris curis oneraretur. Cui Jesus: *Martha sollicita es & turbas erga plurima. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea (r).*

r Luc. 9. 38. 42.

*Precandi formula à Jesu Apostolis tradita.*

Versantem Jesum in monte Olivarum è regione Jerusalem, & cum jam preces suas absolvisset, rogarunt Discipuli, ut formulam sibi precandi aliquam, quemadmodum Joannes Baptistâ suis tradiderat, indulgeret. Docuit illos Jesus Dominicanam orationem, eandem quam prius in sermone in monte tradiderat (s). Tum multa adiecit de virtute & dotibus orationis. Proposuit parabolam hominis, qui cum trium panum necessitate teneretur, quodd ad suam domum inopinus venisset amicus, ea de re vicinum suum, qui cum tota familia cubatum jam iverat, postulavit. Recusavit ille primùm, sed rogantis importunitate victus, omnia dedit, quæ postulabat. Quare Jesus, *Petite, ait, & accipietis; querite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* Quis pater unquam filio suo panem vel ovum postulanti lapidem, vel serpentem tradidit (t).

t Luc. 11. 13.

*Demoniacus mutus ab utroque morbo curatur. Regnum divinum non stabit.*

Blatum sibi Demoniacum loquenti facultate privatum Jesus integræ sanitati restituit, cujus rem invidiam apud Phariseos subit, quasi scilicet in Beelzebub Principe Demoniorum Dæmones expelleret. Alii è Phariseis prodigium aliquod de Cælo postularunt; sed eorum prava consilia intelligens Jesus, ita dolosus viros affatus est. Omne Regnum in seipso divisum desolabitur; quare si Dæmonis Regnum dividatur, qui stabit? Si ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, cuius nomine filii vestri pellunt? Quare illi suo vos judicio damnabunt. Si verò in digito Dei ego Dæmones in fugam ago. Regnum profectò Dei ad vos pervenit. Cum strenuus aliquis vir armis instructus ad eum defendit, nemo locum ingredietur, nisi prius strenuum illum virum vicerit & armis exuerit.

Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Spiritus nequam à loco suo pulsus, requiem undique quaritat; & cum tutum nuspium invenerit, pristinam domum regreditur, novisque seminationibus, & accitis in auxilium septem aliis nequioribus se Spiritibus, defendit: ita status miseri illius, qui malo hospite antea liberatus erat, miserabilior, quàm antea efficitur (u).

u Luc. 11. 14. 28.

*Jesus Christus plura exprobrat Phariseis.*

Exprobrationes suas in Phariseos prosequens Jesus, tertid declaravit nullum ex se aliud signum ab illis expectandum, quàm signum Jonæ Prophete. Vide *Matth. 12. 39. & 16. 4.* Adiecit Regnam Saba & Ninivitas causam contra illos statâ judicii die dicturos, atque incredulitatem eorum & audiendâ veritate segnitiam pluribus redarguturos. Incentam faciem non sub modio, sed super eminentem aliquem locum statui, quò tenebras undique depellat. Porro, ait, *tuerne corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: sin minus, tenebra omnia. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebra sint (x).*

x Luc. 11. 29. 36.

*Jesus discumbit cum Phariseo indignum reputante, quòd illoribus manibus cibos capiat.*

Phariseus quidam Jesum invitavit ad cenam, & cum illotis manibus discubuisse animadverteret, rem habuit indignè. Sed Jesus Vos, ait, Pharisei nihil habetis antiquius, quàm ut exteriora vasis mundetis, cum interim rapinis & fraudibus interna omnia foedentur. Tum pluribus exaggeravit eorum abusum, qui de-

decimam quidem menthae, & rutæ religiosissime pendunt, justitiam & charitatem negligunt. Exprobrat affectata prima in Synagoga, locisque publicis subsellia, seseque veluti dealbata sepulchra exhibere, foris nitorem, intus saniem præferentes. Adiecit: *Væ illis, qui importabilia onera aliorum humeris imponunt, cum ipsi ne digito quidem suo oppressos illos relevare sustineant: væ iis, qui monumenta Prophetis construunt, illis, inquam, Prophetis, quos Patres eorum neci tradiderunt: væ iis, qui cum sibi scientia clavim usurparint, neque ipsi quidem ingrediuntur, neque alios ingredi permittunt. Acerbè hæc omnia auscultantes Pharisei, sedulâ curâ in Jesum incumbant, studebantque pluribus virum capere, atque è suis sermonibus accusationes in ipsum struere (y).*

y Luc. 11. 38. 54.

*Hypocrisis Phariseorum fermentum.*

Verba faciebat Jesus ad Discipulos suos coram frequenti populo, monens ut sedulò ab hypocrisis, quod fermentum est Phariseorum, caverent, nil enim tam occultum esse latensque, quod tandem non pateat, & innotescat. Scirent, ea que clam disseruerant, tandem palam annuntianda, & quæ in aure, super tecta propalanda. Ne timerent eos, qui perendi quidem corporis habent potestatem; sed eum potius revererentur, penès quem & corpus, & animam ad inferna detruendi potestas. Duæ aviculæ, quæ duobus obolis, vilissimo pretio, venduntur, curæ sunt Deo: ut quid igitur vos non curabit, cui ipsi pariter de capite crines in numerato sunt? Adiecit: Quicumque confessus fuerit me coram hominibus, filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: sicut vicissim qui nomini meo renuciaverit, ipsi pariter renuciabo. Qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: qui in Spiritum S. blasphemaverit, non remittetur. Cum vos ad tribuna lia, & Magistratus raptaverint, ne solliciti sitis quam paretis responsionem, vos enim Spiritus S. docebit (z).

z Luc. 12. 1. 12.

*Exquiritur Jesus, ut divisionem inter duos fratres curet.*

Venit ad Jesum quidam, ut fratrem suum ad hæreditatis divisionem adigeret; cui Jesus nil se tale curaturum dixit: atque occasione nactus, de avaritia disserendum suscepit, propositâ viri ejusdem locupletis parabolâ, quem destruendi horrea sua, & ampliora ædificandi consilium capientem, atque de commoda vitæ deliciis blanditum sibi inopina mors occupavit. Non est igitur, cur de cibo, & vestimento sollicitior curâ teneamur, cum de utroque Deus aviculis provideat, cui sanè de iis minor est, quàm de hominibus providentia.

Dissert. Calmet Tom. II.

*Humilitatem docet, & in pauperes studium.*

UT quid de iis omnibus solitudine angamur? Quantumcumque cogitaverit homo, naturæ suæ ne cubitum quidem unum adicere poterit. Quare si minori præstando impar est, majus non poterit. Lilia agri non illa quidem de parando sibi vestimento sollicita sunt, quæ tamen magnificentissimè vestiuntur à Deo. Quare ergo primùm Regnum Cælorum, & hæc omnia adjicientur vobis. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, locupletes vobis thesauros in Cælis parantes. Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, quò domino vestro è convivio regredienti præsto occurratis. Amen dico vobis, quòd præcinget se & discumbentibus ministrabit. Si sciret Paterfamilias qua hora fur veniret ædium parietibus suffodiendis, vigilaret utique: & vos estote parati, qua enim hora non putatis, Filius hominis veniet (a).

a Luc. 12. 13. 41.

*Parabola fidelis Oeconomi, mali servi, & alterius famuli immorigeri.*

Quæsit Petrus, num ea quæ huc usque disseruisset, ad Discipulos tantum, vel ad omnes aquè spectarent? Cui Jesus pluribus parabolis propositis respondit, 1. Oeconomi fidelis & prudentis, quem Dominus fidei suæ merito universæ familiaris præposuit: 2. Mali illius famuli, qui absentia Domini sui occasione captatâ, conservos vexat, sibi que nihil ad voluptatem reliquum facit. Regressus enim Dominus nequam hunc famulum capitali supplicio plectit: 3. Famuli qui Domini sui voluntatem probè noscens, nec tamen executus, vapulat multis, sed mitius cum ignorantibus agit. Multum sanè ab eo exigitur, cui multum concreditur. *Veni, adiecit, ignem mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Ego Baptismo sanguinis habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur. Non paci in terram inferendâ veni, sed divisioni, committendis nimirum parentibus in filios, filiis in parentes &c. (\*)*

\* Luc. 12. 41. 53.

*Cum adversario ante prolatam à Judice sententiam lis componenda.*

Exprobrat Jesus Phariseis, omnes aeris vicissitudines solâ Cæli inspectione prædicere illos potuisse, cum interim temporis adventus Messia distinguendo nihil valeret. Adiecit. Dum vadis cum adversario tuo ad Principem, id committe, ut liber ab illo te expedias, ne fortè à Judice damnatus in carcerem detruaris, donec novissimum minutum reddas (b).

b Luc. 12. 54. 58.